parte mundi quasi ex parte Silvestri seu pagano et nunc
christiana Quod dum Crucifixores ascriberent adulterio
et ob hoc Regina iudicaretur punienda ipsa oratione ad
deum fusa fecit puerum baptizari qui mox de fonte le-
vatus totus in forma humana videbatur exivit Et re-
gina salvatur et Rex baptizatur Qui postea sepulchrum
christi de manu soldani eripiens restituit christianis

Honorius iiij romanus prius dictus Jacobus sedit an-
nis duobus qui satis fuit spiratus et magne discretionis
Hoc tempore quidam monachus Tripolis celebrans coram suo
abbate vidit manum scribentem in corporali Ecce hec verba
Cedrus alta libani succidetur Tripolis destruetur Acca-
ron capietur Mars saturnum superabit Saturnus insidia-
bitur Jovi Vespertilio fugabit dominum apum Ve tibi cle-
ro et terre christiani Vos ergo vigilate Post hoc
Accaron civitas famosissima tunc christianorum destructa
est a soldano et occisi sunt ibidem christiani xxx milia
utriusque sexus ~~et hoc anno domini mcclxxxv~~ Tartari etiam
in ungaria interfecerunt lxxx milia christianorum mul-
tos in terram captivitate abduxerunt Tandem tamen ibidem Tarta-
rorum ad centum milia perierunt grandine nimia divi-
nitus superveniente In frisia diluvio perierunt fere lxxx
milia hominum cum rebus et pecudibus

Judei occiderunt Wernherum qui dictus est bonus Wern-
herus inferentes sibi omnia que struxerunt christi ex passio-
ne propter quod mille iudeorum sunt interfecti Et de bonis
illorum tres ecclesie ad honorem dei et eiusdem Wernheri
in salute constructe sunt Hoc tempore Lodewicus dux ba-
varie et Comes palatinus Reni mariam uxorem suam
sororem heinrici ducis Brabancie suspectam habens de
adulterio fecit decollari xv kal februarii

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_924/0328
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG